

pulso Alidosio Cardinali, qui per aliam se oppidi portam ejecerat; Juliani autem ad Bononiæ muros accesserant, ut iis circumactis in fines Forocornelianos se reciperent, quod nullam aliam habebant itineris faciendi rationem: idem ipse quoque sua cum manu Paulus facit, eique accidit quod Julianis, qui eum antecesserant, non acciderat. illac enim contendenti armatorum hominum montana incolentium plures manus occurrerunt: a quibus disjecti, ut quisque potuit fuga capta se eripere sunt conati. ita tormentis impedimentisque amissis, militibus magna ex parte vel captis vel diffugientibus, interfectis nonnullis, equitatu non frequenti, se in tutum receperunt. Hac intellecta fuga Patres ad Grittum legatum, qui Lemniaco capiendo animum adjecerat, eratque eo cum exercitu profecturus, literas statim dederunt: quoniam ad Bononiam male gesta res publica sit, a Lemniaco aggrediendo abstineat, eque Padî ripis & regionibus tormenta Patavium abduci curret: & si quid Galli molirentur, ne intercipi ab illis possit, se recipiat. Etiam magistratibus Patavinis & Taurisanis mandaverunt, munitiones eorum oppidorum, quas instituissent, perficere maturarent. pauloque post ea re non contenti, legatum qui munitionibus procurandis Patavii præesset, reliquasque res ad oppidi præsidium curaret, Christophorum Maurum legerunt, qui statim proficisceretur: militesque quot potuerant in urbe conscriptos eodem miserunt, verentes ne Galli fuga exercitus reipublicæ sublati Padum trajicerent, atque in ejus oppidi fines irrumperent; si quid de eo capiendo & sua celeritate, & reipublicæ indiligentia possent efficere, tentaturi. Legato vero Donato Senatusconsultum est missum, quo Julium Patres hortabantur, ne propter recentia exercituum detrimenta animo perturbaretur, rempublicam ei nunquam defuturam, omnem fortunam libentissime cum illo subituram, urbicas provincialesque opes, animos denique civium omnium promptos paratosque ei polliceri. quo Senatusconsulto accepto, Ju-